

corum, qui nempe, ut modò dictum est, ejus quidem consequentias eludebant sed principium admittebant aut saltem directè impugnare non audebant (1).

Ergo reapse hoc dogma ab Apostolis proindeque ab ipso Christo venit.

*Et verò non homines solum, sed et Deus certè, si Providentiæ ejus tantisper credas, obstare non omisisset ne ementitæ hujusmodi infallibilitatis dogma apud Ecclesiam reciperetur. Quomodò enim, etiamsi abstrahamus ab expressissimo Christi promissionum sensu, tam citò tamque diuturnè permisisset apud Ecclesiam suam universim prævalere non modò errorem, sed principium errorum adeò ferax adeòque irremediabile ut tota Ejus doctrina inde superstitionibus fuerit fœdata, et successor Petri illius super quem Christus adificandam declaraverat Ecclesiam, factus fuerit, juxta Protestantes plurimos, ipse Antichristus?... Certè portæ inferi tum prævaluissent adversus Ecclesiam Christi (2).*

Ergo per *præscriptionem* humanam, imò, ut ita dicam, divinam, non secùs ac per factorum et testimoniorum *discussionem*, probatur è *Traditione* institutam fuisse à Christo auctoritatem in docendâ illius doctrinâ infallibilem: — Aliunde idem probatur è *Scripturis*: — Ergo talis auctoritas reverà à Christo instituta est.

Aliunde talis à Christo instituenda fuisse videtur, attentâ naturâ humanâ, itemque magis ac magis, attento illo quo *Revelatio christiana* data est, modo.

Ergo denique, sicut in operibus Providentiæ fieri solet, omnia concordant in hanc nostram thesim.

(1) Plures quidem hæretici, Gnostici, Ariani, etc., principium istud indirectè labefactabant dum ad Scripturas solas provocare et Traditionem Ecclesiæ recusare conabantur, (V. ap. Möhler: *Symbol.*, § xxxix); sed fortiter à Patribus refutabantur, et novitatis in hoc etiam ipsi convincebantur.

(2) Cfr J. de Maistre: *Du Pape, Concl.*, IX.

**25. — OBSERVATIO : Quisnam jam nunc esse possit illius theses usus?** — Illa quam modò probavimus thesim, momenti quām maximi est: siquidem non modò universi hujusc tractatūs fundamentum ponit, et cujusque ferè puncti in decursu evolvendi rudimenta continet, sed et novum nobis suppeditat medium quo sæpe jam uti licebit. Ex eâ enim jam demonstratum manet aliquam Auctoritatem in docendâ doctrinâ Christi infallibilem semper existere *alicubi* apud Christianos, etsi nondum planè determinaverimus penès quos illa ibi resideat. Igitur quotiēs in aliquo sèculo, apud omnes eo tempore christiani nominis homines, viderimus *ubique* doceri aliquod doctrinæ punctum tanquam necessariò credendum, jam eo ipso certi erimus hoc ipsum doceri ab Auctoritate infallibili, quæcumque sit, inter Christianos tunc temporis existente. Hoc prinde doctrinæ punctum jam reapse habendum erit divinitùs revelatum, quin necesse sit in hoc *Scripturas* proferre aut à tempore Apostolorum ostendere sive positivam testimoniorum seriem, ut in argumento discussionis, sive perpetuam contradictionum absentiam, ut in argumento *præscriptionis*. Hæc tantùm fieri poterunt, si lubet, *ad abundantiam juris*.

Illi porro observationis usus statim erit in artic. seq.

#### ARTICULUS SECUNDUS.

##### DE EXISTENTIA AUCTORITATIS LEGISLATIVÆ.

26 — In quo consistat auctoritas legislativa apud Ecclesiam. — 27 — Propositio: *Auctoritas à Christo instituta ad docendam Ipsius doctrinam habet etiam ab Illo potestatem leges ac præcepta ferendi ad complendam Ipsius legem*; etenim ASSERTIO 1<sup>a</sup>: — Talis potestas ita à Christo conferenda fuisse videtur, et — 28 — ASSERTIO 2<sup>da</sup>: — ita à Christo reapse collata est.

29 — COROLLARIUM CAPITIS: Ergo Ecclesia est *societas*.

**26. — In quo consistat auctoritas legislativa apud Ecclesiam:** — Postquam per auctoritatem doctrinalem

*declaratum* fuerit quid è lege divinâ præscriptum sit, supererit sæpe *determinandum* quomodò præscriptum illud sit exsequendum. Sic., v. g., Christus quidem jussit ut carnem Ipsius in Eucharistiâ Christiani manducarent (Joan., VI. — V. ap. Theologos *Tr. de Euchar.*); et hoc declarare præceptum ad auctoritatem doctrinalem pertinet: non autem determinavit Christus quotiè sumenda foret caro illa vivifica; quod tamen, propter labentium sæculorum refrigerationem, necesse evenit determinare, ne divinum illud præceptum abiret in vanum: Item Christus certè jussit ut suum in mundo prædicaretur evangelium; magni autem refert ad successum prædicationis, ut prædicatores ex ordine aliquo, pro opportunitate temporum et locorum, distribuantur ac dirigantur. — Ad hæc igitur et similia opus est auctoritate quâdam legislativâ, quæ nempe præceptis divinis addat pro opportunitate præcepta sive communia seu *leges*, sive etiam particularia (V. ap. theolog. *Tr. de legibus*). Nunc quæritur utrùm talis auctoritas ab ipso Christo apud Ecclesiam suam instituta sit, an tantùm ab ipsis Christianis fuerit instituenda. — Sit porro

**27. — Propositio:** *Auctoritas à Christo instituta ad docendam Ipsius doctrinam, habet etiam ab Illo potestatem leges ac præcepta ferendi ad complendam Ipsius legem* (1).

Probatur eodem ferè modo et ordine ac præcedens the-

(1) Illud quidam ferunt negatum fuisse ab Ario, in IV<sup>o</sup> sæc. (licet non adeò expressè: V. S. August.: *de Hæres.*, LV; S. Epiphanius: *Hæres.* LXXV, 3; cfr Suarez: *De leg.* l. IV, c. I, 1). At certè negarunt, è quâdam *libertatis*, ut aiunt, *christianæ* exaggeratione, tum Valdenses in sæc. XIII<sup>o</sup>, Joannes Hus in XV<sup>o</sup>, atque interdum demum protestantismi auctores et principes (V. citat. ap. Regnier, *De Eccl.*; *Theol.* Migne, t. IV, p. 784); de quibus ceteroquin sæpe distingui non potest utrùm reapse hanc auctoritatem penitus negent, an tantùm eam in Multitudine ponant aut etiam in Principiis civilibus, sicuti in cap. seq. dicetur. Recentiorum verò mentem satis (n. 9) exposuimus.

sis: scilicet 1<sup>o</sup> talis potestas auctoritati huic à Christo conferenda fuisse videtur, et 2<sup>o</sup> reapse collata est.

**Assertio I<sup>a</sup>:** *Potestas legislativa auctoritati doctrinali à Christo conferenda fuisse videtur.*

Posito enim scopo missionis Christi manifesto, aliquam certè auctoritatem legislativam I<sup>o</sup> apud Christianos institui necesse erat, imò et II<sup>o</sup> ab ipso Christo institui et auctoritati doctrinali annexi maximè saltem conveniebat.

Et quidem 1<sup>o</sup>, posito Christi scopo, facilè probari potest, sive ad naturam humānam attendatur, sive speciatim ad legis evangelicæ naturam, talem auctoritatem necessariam fuisse.

Christus enim venit, sicuti supra ostensum est, ut religionem completam ac definitivam constitueret et radicari ac subsistere faceret.

Atqui ad hunc scopum attingendum, juxta solitas Providentiæ vias, non satis erit dogmata atque præcepta immutabilia data esse quæ ab aliquâ auctoritate doctrinali infallibiliter declarentur, sed requiritur insuper ut ab aliquâ etiam auctoritate legislativâ semper determinari possit quonam modo præcepta illa sint pro variâ temporum et locorum opportunitate implenda. Secùs enim,

1<sup>o</sup> si attendatur ad naturam humanam, valde timendum erit — 1<sup>o</sup> ne quisquam sibi facile illudat, et ipsam negligat substantiam præcepti, si modus remaneat indeterminatus. Et quot profectò Christiani nulla, v. g., poenitentiæ opera facerent, si non determinarentur certa in anno tempora vel certi in hebdomade dies in quibus certum poenitentiæ opus, jejunium nempe vel abstinentia, observaretur! — Præterea 2<sup>o</sup>, etiamsi unusquisque pro se præceptum divinum implere verè satageret, non omnes tamen eodem modo illud implerent; unde valde minueretur communis exempli vis et efficacia; imò et in quibusdam materiis, ubi actiones plurium conjungi aut coordinari

debent ad effectum aliquem obtinendum, v. g., ad propagandum Evangelium, ad subveniendum necessitatibus publicis, ad cultum solemnem celebrandum aut vim cœlo per preces inferendam, illa adeò necessaria virium conjunctio ac coordinatio minimè obtineretur, et induceretur è contrà confusio ac mutua conatum elisio. — Ergo, attentâ naturâ humanâ, requiritur ut semper ab aliquâ auctoritate legislativâ determinari possit quonam modo immutabilia Dei præcepta, pro variâ temporum et locorum opportunitate, sint implenda. — Et id quidem magis ac magis patebit

2º si attendatur ad ipsam naturam legis evangelicæ, quæ nempe non uni populo nec ad tempus, ut olim lex mosaïca, sed universis et in perpetuum destinata, ideo non minuta quæque et particularia poterat præordinare, sed lata tantum et communia præcepta habebat ponenda, quorum applicationes pro circumstantiis ab aliquâ auctoritate vivente convenientius exinde determinarentur (1). — Ergo, attentâ speciatim naturâ legis evangelicæ, iterùm constat aliquam auctoritatem legislativam instituendam fuisse.

IIº Hoc autem admisso, nemo non videt maximè certè congruere ut hæc 1º ab ipso Christo expressè instituta sit, inde sacratior profectò futura quâm si ab ipsis Christianis fuisset per conventum instituenda, quum præsertim minimè ad id convenire potuissent, sicuti in cap. seq., ubi de institutione depositariorum, ostendetur. — Item 2º maximè etiam congruebat ut legislativa hæc auctoritas non ab auctoritate doctrinali separata institueretur, sed illi connexa, cuius nempe declarationibus determinationes

(1) Suarez : *De legibus*, L. IV, c. 1, n. 4, ap. Migne *Theol.*, t. XII, p. 730. — Hinc etiam apud theologos disputari videtur an apud Synagogam potestas verè legislativa extiterit à Deo immediatè instituta. V. Suarez, Lib. cit., c. II : *An hæc potestas sit propria legis gratiae?* etc. n. 8—10.

suas superaptare debet; inde enim certè melius cum illâ concordabit; (quousque etiam illius infallibilitatem participabit, infrà, in cap. IIIº, expendetur).

Ergo, summatim, tota assertio nostra constat, scilicet, *potestatem legislativam auctoritati doctrinali fuisse à Christo conferendam*.

Et certè, quemadmodùm infans indiget matre non solum ut doceatur (V. suprà, n. 19, p. 33), sed etiam ut dirigatur; ita et homo indiget illâ alterâ matre, Auctoritate scilicet vivente ac præsente, quam profectò ad utramque illam necessitatem Deus generi humano ab adventu Christi providere non omiserit. Neque enim sine eâ genus humanum haberri posset completem organisatum, prout pertinet ad statum hunc adultum in quem Christus venit illud constituere, *donec occurrant omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi* (Eph., IV, 13). — Et cfr infrà, in cap. IIIº, omnes hujus talis auctoritatis consequentias et applicationes possibles. — Nunc verò

**28. — Assertio 2<sup>da</sup> : Potestas legislativa auctoritati doctrinali à Christo reapse collata est.**

Probatur tum è Scripturâ, tum è Traditione.

1º **Scripturâ** nempe — innuitur quidem per innumeros textus in quibus Ecclesia assimilatur *regno, civitati, familie*, aut aliis hujusmodi cœtibus quibus essentialiter aliqua auctoritas legislativa præsidet; — declaratur verò per multos alios textus jam citatos vel fusiùs infrà cito doss, quibus Christus expressè talem auctoritatem instituisse traditur, imò nec ipsam tantum auctoritatem sed et ipsius depositarios, ut in cap. seq. ostendetur. Illic enim 1º Christus tum Petro tum cæteris dein Apostolis non docendi tantum potestatem spopondit sed et *ligandi atque solvendi* (Matth., XVI, 19; XVIII, 18); quod profectò auctoritatem legislativam includit. — Item 2º Petro ter repetitis vocibus potestatem tradidit *pascendi* proindeque re-

gendi (1) agnos et oves (Joan., XXI, 15, 17; — V. in cap. seq.); — et similiter testatur generatim S. Paulus Christum de disse non solum doctores sed et *pastores*, in *ædificationem corporis Christi* (Eph., IV, II, 12) — (2) — et quidem usque in consummationem mundi, ut suprà ostensum est (p. 56). — 3º Istud cæteroquin pascendi seu regendi munus Apostoli commendare non cessant iis quos supra alias consti tuerunt, et quidem tanquam munus à Deo concreditum : « *Pascite qui in vobis est gregem Dei, etc.* » (I Petr., V. 2 et ss.) — « *Attendite vobis et universo gregi in quo vos* » *Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei* » (Act., XX, 28); et ipsimet idem munus exercent multa dis ponentes ac præcipientes minimè à Deo determinata, sive singuli pro suâ parte (V., v. g., I Cor., XI, 4-5, 17, 34; XIV, 27, 34; I Tim., II, 41; V, 9, 49; Tit., I, 5, 6), sive omnes collectim cum *senioribus* (de quibus infrà) pro uni versâ Ecclesiâ, ut fit in Concilio Hierosolymitano (Act. XV), in quo nempe, appellatâ *Spiritus Sancti* auctoritate (v. 28), prohibitions feruntur de iis etiam quæ non prohibebantur jure naturali nec jam etiam divino, v. g. de *sanguine et suffocato* (v. 29) (3).

(1) Cfr Wiseman; *Confér. VIII*, p. 919, et textus, ut plurimum, ibid. indicatos, v. g., II Reg. V, 2; Ps. LXXVII, 71; Apoc., XII, 5, XIX, 15 (in greco); etc., etc. — Item et in omni Antiquitate et speciatim ap. Homerum.

(2) Ex his et seq. videre est quām falsò contenderit Protestans Grotius (*De imperio summarum Potest. circa sacra*, c. iv, cit. ap. Regnier : *De Eccl.*, Migne, *Theol.*, t. IV, p. 784). « nec obligare quemquam per modum » imperii, Pastoribus datum esse divinitùs, èd quòd nempe vocantur legati, » nuntii, præcones; legatorum autem, nuntiorum et præconum non est suo » imperio quemquam obligare, sed aliorum imperium notum facere. »

(3) Hæc quidem prohibitiō de jure divino fuerat non modò apud Judæos (Levit. VII, 26 et s.), sed et apud Gentiles à diebus Noe (Gen. IX, 4): ideo que, usque ad Christum, exigebatur, cum cæteris Noahidarum, ut aiunt, præceptis, etiam à *Proselytis portæ* (V. *Tr. de verd Rel.*, p. 262, not. 2, cum auctoribus illic indic.). Sed omnes Christiani fatentur præcepta hæc;

Ergo, summatis multipliciter è Scripturâ assertio probatur (1). — Eadem verò

IIº è **Traditione** probari etiam potest, — sive *per factorum et testimoniorum discussionem*, ostendendo nempe per facta et testimonia positiva omnium sæculorum, à temporibus Apostolorum, auctoritatem legislativam in Ecclesiâ semper viguisse et habitam fuisse tanquam à Christo institutam; — sive *per præscriptionem*, probando scilicet hanc auctoritatem et persuasionem non potuisse ullo tempore subintroduci in Ecclesiâ quin saltem vestigia hujus introductionis apparerent; unde, cum nulla hujusmodi appa rent, iterum concludere est illam auctoritatem et persuasionem reverà ab Apostolis proindeque ab ipso Christo venire.

Verùm, quia argumenta hæc auctoritatem legislativam possunt probare non tantum à Christo institutam, sed et certis quibusdam personis ab Ipso commissam, utilius forsitan in cap. seq. differentur evolvenda. Satis autem erit præsenti nostræ thesi unum applicare argumentum thesi præcedenti innixum (V. suprà, n. 25), scilicet :

Omnis notorietatis est, nec certè negari potest, nec reverà ab adversariis negatur, hujus legislativæ auctoritatis à Christo institutionem apud omnes cujuscumque communionis Christianos prædicatam fuisse universim in quibusdam sæculis. — Atqui iis etiam sæculis auctoritas in docendâ Christi doctrinâ infallibilis alicubi certè apud

quoad istud supra legem naturalem additum, vim amisisse à morte Christi, nec proinde, nisi per modum legis ecclesiasticæ positiva, vim ultrà obtainere potuisse, sicuti reverà obtinuerunt tum per plura adhuc sæcula apud plerosque Latinos, tum etiam hodieum apud Græcos. Circa rationes hujus præcepti tum primitus ferendi, tum per Apostolos renovandi, V. Duguet : *Confér. ecclés., Dissert. XLII, § 1.*

(1) Cfr, in hoc è Scripturâ argumentum itemque in seq. è *Traditione*, Bellarmin. : *Controv. : de S. Pont., L. IV, c. XVI.*

Christianos vigebat, proindeque ipsa etiam hujus prædicationis particeps exstitit. — Ergo ea erat reapse vera doctrina Christi; ii autem qui aliquando per intervalla temporum, ut Aerius in iv<sup>o</sup> sæculo, Valdenses in xm<sup>o</sup>, Hussitæ in xv<sup>o</sup>, et postea multi è Protestantibus punctum istud plus minusve negarunt, merito habendi fuerunt et reapse habitu sunt *hæretici*; neque in suo systemate logicè perstare potuerunt quin et doctrinalem auctoritatem aggrederentur atque infallibilem negarent.

Ergo ex hoc argumento vel solo constaret thesis. Aliunde  
..... Al..... Ergo, etc....

#### COROLLARIUM CAPITIS

##### circa Ecclesiæ notionem.

**29. — Ecclesia est societas.** — Ex dictis jam soluta patet quæstio ab initio posita (n. 40), utrum, scilicet, Ecclesia, qualis à Christo instituta est, dicenda sit verè ac propriè *societas*. Etenim

Ille cœtus est et dicitur propriè *societas*, cuius membra omnia debent in eumdem finem tendere, non modò singulatim, sed conjunctim, actibus scilicet in id mutuò coordinatis (1). Illa autem actuam in communem finem mutua coordinatio, quæ constituit propriè societatem, non potest fieri, saltem permanenter, nisi adsit auctoritas, et, è contrà, necessariò fieri debet ubi adest auctoritas cui omnes et singuli in ordine ad hunc finem obedire teneantur. — Atqui

(1) Hinc ap. Suarez (*De Legibus*, l. I, c. vi, n. 19) « ..... declaratur » ad communitatem non sufficere hominum multitudinem, nisi inter se ali- » quo fœdere, in ordine ad aliquem finem, et sub aliquo capite copulentur. » Hin- breviter et excellenter ap. Schenckl (*Inst. eccles.*, § 1) : Societas est « conjunctio hominum ad finem quemdam communiter obtainendum. » (Et cf. ibid. quæ sequuntur).

in Ecclesiâ Christus auctoritatem posuit perpetuò duratram cui omnes et singuli Christi discipulos sese professi jam obedire tenentur tum quoad doctrinam tenendam, tum quoad actus exsequendos in ordine ad salutem. — Ergo Ecclesia, ex ipsâ institutione Christi, est et dici debet verè ac propriè *societas*. — Neque reapse aliter poterat fieri capax communis hujus actionis quam ei, quovis sæculo, tota attribuit Traditio (1), quamque postulabat institutionis ejus ratio, sicuti fusè in thesibus nostris ostensum est (2).

(1) V. Nicole : *De l'unité de l'Eglise*, l. I, c. ix.

(2) Et certè dicere est de totâ Religione christianâ quod speciatim de ethicâ illius parte dicit Balmès : « Pour faire prévaloir la morale chrétienne, l'apparition de cette doctrine ne suffisait pas; il fallait encore une société qui non-seulement conservât cette morale dans toute sa pureté pour la transmettre de génération en génération, mais quiût aussi la prêcher incessamment aux hommes et en faire une application continue à tous les actes de la vie. Observons que les idées, quelle que soit leur force, n'ont jamais qu'une existence précaire jusqu'au moment où elles arrivent à se réaliser, à se rendre sensibles, pour ainsi dire, dans une institution qui, tout en recevant d'elles la vie, le mouvement, la direction, leur sert en retour de rempart contre les attaques des autres idées et des autres intérêts..... C'est pourquoi toute idée qui veut agir sur la société et prétend s'assurer un avenir, tend nécessairement à créer une institution qui la représente, dans laquelle elle se personifie.... Dès qu'il n'existe plus une société qui pût prétendre au droit d'expliquer et d'enseigner la morale chrétienne, cette morale restait reléguée au rang de ces idées qui, n'étant représentées et soutenues par aucune institution, n'ayant aucun organe autorisé pour se faire entendre, manquent de moyens directs pour influer sur la société, et ne savent plus où trouver un abri lorsqu'on vient à les combattre. » (*Le Protestantisme comparé au Cathol.*, ch. xxx). — Cfr Möhler : « L'idée de communauté, au contraire, ravit le cœur, satisfait la raison, répond admirablement à toutes nos facultés religieuses et morales.... » (*Symbolique*, T. II, § xxxvii, ubi tria haec puncta fusè et eloquenter evolut).

## CAPUT SECUNDUM.

## DE SEDE AUCTORITATIS IN ECCLESIA CHRISTI.

**30. — Prænotanda de auctoritate apud societatem naturalem et de auctoritate apud Ecclesiam :** — In omni hominum associatione adest naturaliter aliqua auctoritas sine quâ societas non esset (V. n. 29) : hæc autem auctoritas, ubi non ex ipso jure naturali, sicuti fit in familiâ, apud unum invenitur, saltem apud communitatem invenitur, atque inde in personas transit à communitate electas aut acceptas, nisi Deus ipse aliter disposuerit, sicuti fecerat, v. g., pro regno judaico. — Ita communiter doctores (1).

Illa autem auctoritas quam in Ecclesiâ Christi demonstravimus existere, differt, in pluribus certè gravissimis, ab auctoritate hâc quæ in omni hominum societate naturaliter invenitur (2). Hæc enim nunquam posset præsertim, sicut illa, sibi potestatem arrogare docendi infallibiliter

(1) V. notatim Suarez : *De Legibus*, l. III, c. iv; — ap. Migne, *Theol.*, t. XII, p. 450, 451; — et alias quos invenies cit. ap. Balmès : *Le Protestantisme comparé au Catholicisme*, c. XLIX, t. III.

(2) Hæc certè semper existere posset apud Ecclesiam, si Christus non aliam in eâ instituisset, nec ipse Fideles suos in societatem formasset. Tunc enim Christifidelibus semper licitum imò et laudabile fuisset per se sponte conjungi sive in plures societates sive etiam, si fieri potuisset, in unam, et aliquam sibi magisterii et regiminis formam constituere (V. n. 9), licet non infallibilem nec essentialiem et immutabilem. — Et ita reverâ ii etiam Protestantes qui nullam auctoritatem et societatem à Christo institutam dicunt, sese tamen efformare possunt in congregations sive separatas sive etiam plus minusve confederatas; atque hoc jure certè possunt, quin ideo inconsequentialia sint incusandi, talem talenve sibi constituerem pastorem aut deponere, imò et à societate excludere, dummodò, in hoc, non in nomine Christi agere intendant sed in nomine sua humanae associationis. Et cfr quomodò sese consequenter habuerit Synodus Protestantium in Gallia, a. 1872 (V. ap. *Etudes des Jésuites*, aout 1877, p. 247).

aut etiam dispensandi, uti postea dicetur, per sacerdotes ad hoc delegatos, internam delictorum remissionem. Auctoritas igitur in Ecclesiâ existens est essentialiter supernaturalis (1); — neque potuit, ad instar auctoritatis merè naturalis (2), è solâ Christifidelium consociatione naturaliter consequi, sed per positivam atque expressam à Deo collationem apud ipsos instituenda fuit, et ita reverâ per Christum instituta est, quemadmodùm in cap. præced. probavimus.

**31. — Catholicorum assertiones.** — Hinc porro sanè pronum est quærere anne Christus dum talem auctoritatem positive institueret, illius etiam formam et depositarios positivè determinaverit : quod nos Catholicî affirmamus, duo hæc statuentes, scilicet :

1º Christus auctoritatem ecclesiasticam — et quidem plenam — uni dedit in personâ Petri atque exinde Petri successoris, qui dicitur *Papa*, per excellentiam (3), seu Summus Pontifex :

2º Huic supremo Pastori alias etiam adjecit Pastores in personâ Apostolorum atque exinde Episcoporum, qui in partem auctoritatis ecclesiastice sub illo exercendam vocantur :

Et hæc omnia in perpetuum.

Hoc est totum Ecclesiæ sistema juxta Catholicos (4).

(1) Cfr Suarez : *de Leg.*, l. IV, c. 1, vii et ss.; — ap. Migne *Theol.*, t. XII, p. 732.

(2) V. ibid. l. III, c. iii, 5, 6; — ap. Migne, p. 447.

(3) Ille nempe titulus olim aliis quoque episcopis usitatus Romano Pontifici per excellentiam et absque addito attribui incepit ineunte sæc. vº (Conc. Tolet. I; S. Ennodius; etc.) atque illi definitivè mansit ineunte sæc. viº. (V. Thomassin : *Anc. et nouv. discipl.*, p. I, l. I, ch. iv, n. 10).

(4) Ex hâc statim expositione colligere est quòd, si in jure naturali vel divino steteris, societas ecclesiastica et societas civilis, juxta doctrinam apud theologos præsertim Medii Ævi communiter receptam, non simili sed inversâ ratione constituta apparent. Nempe, ut ait Bellarminus (quem